NALE VITT. EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
12 G
10

Digitized by Google

EXEMPLVM

PRIVILEGI. LAVREAE APOLLINARIS FRANCISCI PETRARCHAE QVA INSIGNIS POETA ROMÆ, IN CAPITOLIO, AN. M. CCC. XLI. V. ID. APR. HONORIFICE DONATVS EST.

Legiſſe Iuuabit.

VENETIIS X. CAL. SEPT. M. D. XXXI.

Cum Priuilegio ad quinquenium.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

EXEMPLVM PRIVILEGII LAVREAE FRANCISCI PETRARCHAE.

AD PERPETVAM rei memoriam Vrſus Comes Anguillariæ, & Iordanus de filiis Vrſi Miles, Almę Vrbis Senatores Illuſtres uniuerſis, ad quos præſentes peruenerunt literæ: Cũ, ſicut conſtamus ex anima, & corpore, ſic duplex quærendæ gloriæ uia ſit apta mortalibus. Quarum altera mentis, altera corporis uiribus peragẽda eſt. Vtriuſq; rei principatum omnipotens Deus in hac glorioſiſſima Vrbe conſtituit ab æterno. Ex quo quidem innumerabiles olim tam ingenii, q̃ bellicis artibus memorandos hæc eadem Vrbs, aut ipſa genuit, aut alibi genitos, erudiuit, aluit, illuſtrauit. Inter multa nimirum, quæ animi uiribus geruntur, ut ad præſens de corporis actibus taceamus, florentiſſimi, atq; laude omni digniſſimi quõdam in noſtra republica Hiſtorici, ac præcipue Poetæ maxime uiguerũt. Quorum induſtria, ac labore tam ſibi ipſis, quam aliis claris uiris, quos dignabantur nobilitare carminibus, nominis immortalitas quærebatur. Horum in primis opera effectum, ut cõditorum hu-

ius Vrbis,& Imperii, atq; aliorum omnis ætatis uirorum illuſtrium uitam,& mores, ac nomina teneamus, quæ nullis locis per tot ſeculorum lapſum ad nos potuerát puenire. Sane ſicut Poetarum,& Hiſtoricorum copia multis glorioſæ, & diuinæ gloriæ cauſa fuit, ſic eorum defectum tractu temporis, poſtea ſuccedentis: multis aliis ad æternitatem nominis indignas obliuionis tenebras, non dubium, attuliſſe. Hinc ſæpe contingit, ut laudes eorum hominum, qui nobiſcum uixerunt, ignorantes (mira res dictu) uetuſtiſſimorum certam notitiam habeamus. Et Poetæ quidé præteriti gloria temporis pariter illuſtres ſunt,& futuri. quoniam, ut diximus immortalitatem,& ſibi,& aliis quærebant, ac præter honores,& priuilegia, quibus publice donabantur ꝑ premio quondam,& ſtudiorum proprio ornamento cooronam lauream merebantur. Tanto enim honore dignos cenſuit reſpublica, ut unú, atq; idem Laureæ decus aſſignádum céſeret Cæſaribus,& Poetis: Siquidé & Cæſares, Duceſq; uictores poſt labores bellorum,& Poetas, poſt labores ſtudiorum Lauro inſignibant per ęternam uiriditatem arboris illius: æternitatem tam bello, quam ingenio quæſitæ gloriæ ſignificátes. Atq; ob illud in primis, quia ſicut hác arborem Deus ſolam nõ fulminat, ſic creditur Cæſarum,& Poetarum gloria illa, quæ more fulminis cuncta proſternit, ſola uetuſtatem non timere. Hoc nem

pe Poeticum decus ætate noſtra, quod dolentes referimus, incertum, qua ſeu ingeniorum tarditate, ſeu temporum malitia, uſq; adeo oblitum eſſe uidemus, ut etiam, quid per ipſum Poetæ nomen importetur, pene incognitum noſtris hominibus habeatur, opinantibus multis Poetæ officium nil eſſe aliud, quam fingere, ſeu mentiri. qđ ſi ita eſſet, prorſus & leuis res, & omni honore indignum decus uideretur. Ignorãt autem Poetæ officium, ſicut ab eruditiſſimis, & ſapientiſſimis uiris accepimus, ĩ hoc eſſe uirtutem rei ſub amœnis coloribus abſconditam, & decoram uelut figmentorum umbram contentam altiſſonis celebratam carminibus, & dulcis eloquii ſuauitate reſpergant: quæ ſit quæſitu difficilior magis, atque inuẽta dulceſcat. Sane autem Poetas egregios in moré triumphantium accepimus in Capitolio coronari, uſq; adeo & in deſſuetudinẽ nobis abiit illa ſolẽnitas, ut iam a mille trecentis annis nullum ibi legamus tali honore decoratum. Quod excogitans ingenioſus uir, & taliũ ſtudiorũ ab adoleſcẽtia ſcrutator ardẽtiſſimus Franciſcus Petrarcha Florẽtinus Poeta Hiſtoricus præſertim tempore præſenti ſcientiæ ſuccurrendum ratus, quo neglecta magis erat ab hominibus, & deſerta poſt auctorum uolumina diligẽti primũ indagine non incognita relicta: deinde poſt propria proprii ingenii opera, Hiſtoriarũ præcipue, & Poematum, quorum partim adhuc habet in

manibus, honeſto Laureæ flagrans deſiderio, nõ tam propter gloriam, ſicut idem in noſtra, & Populi Romani pręſentia profeſſus eſt, quam, ut ad ſimile deſiderium ſtudiorum omniũ animos irritaret, quãuis ad hunc ipſius honorem alibi ſuſcipiendum ſtudiis, atq; urbibus euocatus: tractus tamen memoria antiquorum Poetarum, necnõ affectu, & reuerentia huius ſacroſanctæ urbis, cuius eum ſemper fuiſſe conſtat feruentiſſimũ amatorem, poſt habitis aliorum precibus, decreuit huc potiſſimum, ubi laureatos eſſe meminerat, ſe cõferre ante eum, Et ne ſuper hoc ſuæ forſitan præſumptioni confiſus uideretur, ſtatuit de ſeipſo alteri credere potius, quam ſibi: ideoq; circumſpiciens, nec ullum in toto orbe reperiens digniorem, ad Sereniſſimum Robertum Hieruſalem Siciliæ Regem Illuſtriſſimum, de Romana Curia digreſſus, quę in Auinione nunc reſidet, uſq; Neapolim perſonaliter acceſſit, Itaq; illius tanti regis omnium ſcientiarum fulgoribus abundantiſſime radiãtis, ſeſe ſubiecit examini, ex cunctis mortalibus illum præferens, qui inter omnes digniſſimus uiſus eſt maturo ſane conſilio, & tanto iudicio, ut probatus poſſet a nemine reprobari: Cum itaq; Rex idem, audito eo, atq; operũ eius parte perſpecta, dignum profecto tali honore iudicaſſet: ac ſuper eius ſufficientia cum ſuo ſigillo teſtimoniales nobis literas, & eius fide dignos nuncios deſtinaſſet, eodemq; idem Franciſcus pleno

Capitolio Laureũ Poeticũ ſolēniter poſtulaſſet:
Nos regio teſtimonio,& famæ publicę,quæ eidē
de eo multa proloquuntur erat,ſed molto magis
operum euidentia certiſſimam fidem reddentes,
præfatum Franciſcum hodierno, uidelicet ſolen
nitatis Paſchalis,die ĩ Capitolio Romano, lecto
rum celeberrimo,tam dicti regis,quam noſtri po
pulario nomine,magnum Poetam,& Hyſtoricũ
declaramus,pręclaro Magiſterii nomine inſigni
mus. Et in ſignum ſpecialiter poeſis, Nos Vrſus
Comes, & Senator præfatus ꝓ nobis, & collega
noſtro Coronam Lauream noſtris manibus eius
capiti impreſſimus,dãtes eidem tam in dicta Ar-
te Poetica,quã in dicta Hiſtorica Arte,atq; quæ
in omnibus ſpectantibus ad eiuſdem auctorita-
ti præfati domini Regis, Senatuſq; Populi Ro-
mani tã in hanc ſanctiſſimam urbē, quã omniũ
urbium,& terrarum caput eſſe non ambigitur,&
magiſter,quam alambicũq; locoꝝ legēdi, diſpu
tandi,atq; interpretandi ueterum ſcripturas, &
nouas a ſeipſo omnibus ſæculis auxiliante Deo:
& manſuros libros, & poemata componendi li-
beram tenere pręſentium poteſtatem.Necnon &
quotiens ſibi placuerit, poſſit huiuſmodi, atque
alios actus poeticos laurea, ſeu mirto, uel hede-
ra,ſi id genus elegerit,coronare,& in actu,atque
habitu quolibet Poetico,& publice ſolēniter ex-
ercere adhuc conſcripta per eum hactenus,uelut
per hominem in talibus expertum,in his ſcriptis

approbamus. Reliqua uero, quæ ſcripturum eũ contingerit in poſterum, exquo ab eodem ꝓmul gata, & in lucem edita fuerint, ſimili ratione approbanda cenſemus, decernẽtes eum hiſdem priuilegiis, immunitatibus, honoribus, & inſignibus perfrui debere, quibus hic, uel uſquã terrarũ uti poſſunt, uel poſſe ſunt ſoliti liberalium, & honeſtarum artium profeſſores: eoque magis, quod profeſſionis ſuæ caritas uberioribus eum fauoribus & ampliori beneficio dignum facit. Inſuper eundem Franciſcum Petrarcham propter inſignes ſui ingenii dotes, ac propter notiſſimam deuotionem, qua ad hanc urbem, noſtramque rempublicam affici, & cõmunis omnium fama, & actus eius: & uerba teſtatur, Ciuem Romanũ, facimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ipſum & ueteribus, & nouis ciuium priuilegiisa, c nomine decorantes. De quibus omnibus & ſingulis interrogatus Populus Romanus ſolenniter: ut mos eſt, nemine protinus aduerſante, placere ſibi omnia acclamando reſpondit. In quorum teſtimonium præſentes literas utriuſq; ſubſtantiæ ſenatus ſubſcriptione, & noſtræ aureæ bullæ ſibi concedi iuſſimus appenſione munitas datum in Capitolio, præſentibus nobis, & tam alienigenarum: quam Romanoꝝ ꝓcerum, ac populi multitudine numeroſa. V. I D. APR. AN. DOM. M. CCC. XLI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cav. G. DI GIACOMO
Restauro del Libro Antico e Legatoria
Piazza dello Spirito Santo, 11 - Tel. 21.244
PESCARA

BIBLIOTECA NAZI
12

Digitized by Google